

repetentur eadem Evangelia , quæ in Pontificali posita sunt.

17. Durante autem Concilio , decens est , ut singulis quintis feriis in Ecclesia Cathedrali cantetur Missa sollemnis de Spiritu Sancto ; ut in Concilio Tridentino eadem sessione secunda sancitum fuit.

18. Officiales quoque , et ministri necessarii deputandi sunt in hujusmodi Conciliis , veluti Notarii , Ostiarii , Magistri cæremoniarum , et alii , ut habetur in Concilio Toletano quarto , canone quarto.

19. In fine Concilii Provincialis , post ejus approbationem , dicto per Diaconum *Recedamus in pace* , et factis acclamationibus , omnes Episcopi surgentes , accedunt ad osculum pacis a Metropolitanò accipiendum , quod deinceps inter se dant et accipiunt , ut charitatem conjunctionemque animorum ostendant. Quod in dicto Concilio Toletano quarto similiter statutum legitur.

20. In Synodis autem Diocæsanis magis deceret , ut acclamationes et oscula pacis omitterentur.

FINIS LIBRI PRIMI.

CÆREMONIALIS

EPISCOPORUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Episcopus in crastinum Missam solemnem celebraturus , pridie Vesperas solemnes ipse peragat. Qui sint dies , quibus ab Episcopo Vesperarum solemnia sunt peragenda. Quo ordine ad Ecclesiam procedat. Quo loci Episcopi et Canonici parentur , et quibus paramentis induantur. Ritus incipiendi Vesperas , et præintonandi Antiphonas , et sedendi ad Psalmos. Capitulum a quo , ubi , et quomodo cantandum. Hymnus et Antiphona Cantici , a quo præintonentur. Incensum quomodo ministrandum. Quo ordine ad incensandum altare Episcopus procedat , et ab eo redeat. Quomodo , et a quo Episcopus incensetur. Quomodo item reliqui. Oratio quomodo dicenda. Quo ritu benedictio danda. Si Cardinalis præsens est , vel Metropolitanus , urbaniter benedictionem ab Episcopo dandam remittat. Paramenta , quando , et quo loci deponenda.

I. Sacræ solemnitates regulariter a primis Vesperis initium sumunt. Explicatis igitur in superiori Libro his , quæ ad divina Officia in Ecclesia præparanda pertinent , consequens est , ut de ipsis Vesperis nunc loquamur.

2. Si ergo Episcopus erit solemniter Missam sequenti die celebraturus, Vesperæ solemniter peraguntur, quam si non esset celebraturus. Quod præcipue in his vigiliis observari solet, videlicet, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiæ, Sancti Titularis Ecclesiæ, et Patroni Civitatis.

3. Secundæ Vesperæ poterunt etiam per Episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem in Dominica Resurrectionis, et in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, ac in festo Sancti Titularis Ecclesiæ, et Sancti Patroni Civitatis.

4. Postquam ergo Episcopus ad Ecclesiam pervenerit, orationemque ante SS. Sacramentum et altare majus fecerit, ordine superius in *Cap. xv. §. v. Lib. I.* narrato: quo tempore Canonici sument paramenta, scilicet amictum super cottam, aut rocchetto, et alia; paratisque omnibus Canonicis amictibus et sacris paramentis, juxta normam in eodem *Capite §. vi.* traditam, ipse Episcopus pauxillum sedet in sua sede; deinde surgens, deponet cappam, capietque sacra indumenta, ordine sumpta ex altari ab Acolythis et ministris; videlicet, primo amictum, quem in medio, ubi est parva crux, osculatur; deinde albam, tum cingulum, mox crucem pectoralem, et stolam a collo pendentes, quas similiter osculatur in medio; deinde pluviale cum pectorali in conjunctura illius; et sedens, mitram pretiosam, ac annulum: quibus omnibus paramentis induitur per Diaconos assistentes paratos, præter annulum, qui imponitur ei per Presbyterum assistentem. Interim, si adest organum in Ecclesia, pulsatur.

5. Cum Episcopus sic paratus paululum sederit, surgit, deposita mitra, surgentibus omnibus, versus ad altare dicit secreto *Pater noster, etc.*, et *Ave Maria, etc.*, integre: et tenens sinistram manum infra pectus, dextera aperta facit sibi crucis signum a fronte ad pectus, cantans intelligibili voce *Deus, in adjutorium meum intende.* Et pro unoquoque

verbo tangit manu, primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, ultimo dexterum, et in fine jungit manus ante pectus.

6. Cum chorus cantat Versiculum *Gloria Patri, etc.*, Episcopus et omnes caput inclinant versus crucem super altari usque ad Versiculum *Sicut erat, etc.*

7. Interim Cæremoniarius ducit Subdiaconum, vel alium, ad quem de Ecclesiæ consuetudine spectat, intimare Antiphonas in habitu, in quo reperitur ante Episcopum, factis debitis reverentiis altari et Episcopo; cui, dicto per chorum Versiculo *Sicut erat, etc.*, et *Alleluia*, vel *Laus tibi, Domine, etc.*, Subdiaconus præintonat primam Antiphonam; et donec per Episcopum non fuerit præintonatio repetita, Cæremoniarius, et Subdiaconus præintonator expectant, ibidem stantes, ea autem repetita intelligibili voce, sive ex libro, sive memoriter, prout magis Episcopo placuerit, factis iterum debitis reverentiis Episcopo et altari, ad sua loca redeunt. Episcopus vero sic perstat, donec expleta per chorum Antiphona, inceptus fuerit Psalmus; tunc sedet, accepta mitra leviori, si placeat, et omnes pariter sedent.

8. Psalmi decantari debent a choro, et ab ipsismet Canonicis et Beneficiatis, aliisque de Capitulo in tono et cantu Gregoriano cum gravitate et decore: ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur; sed Versiculus *Gloria Patri, etc.* poterit solemniori vocis modulatione recitari, ad quem Episcopus cum mitra, et omnes alii, detectis capitibus, sedentes, vel, prout reperiuntur, se inclinant: et si placuerit, finito quolibet Psalmo, poterit Antiphona per organum repeti, dum tamen per aliquos mansionarios, aut alios, ad id deputatos, eadem Antiphona clara voce repetatur. Et si quis adesset, qui cum organo cantare vellet, nihil aliud cantet quam ipsam Antiphonam, ut latius in *Cap. xxviii. Lib. I. §. vii. et viii.* de organo et organista, etc. explicatur.

9. Reliquæ quatuor Antiphonæ juxta debitum et decentem

ordinem, ritumque antiquum, per eundem Subdiaconum, seu alterum, ad quem spectat, præintonari debent, hoc ordine, videlicet, secunda Diacono assistenti a dexteris Episcopi; tertia Presbytero assistenti; quarta primo Canonico in choro manenti, sive ille sit Archidiaconus, sive Archipresbyter, sive Presbyter; quinta Diacono assistenti a sinistris Episcopi.

10. Eadem omnia etiã in præintonatione aliarum Antiphonarum observantur, quæ in prima servari debere dictum est; nisi quod erga Canonicos parcior fiet reverentia, videlicet, sola capitis inclinatione. Surgente autem Canonico, cui præintonatur Antiphona, Canonici et omnes alii in choro præsentés surgunt; sed quando præintonatur alicui ex assistentibus Episcopi, surgunt tantummodo alii coassistentes.

11. Expleta Psalmorum et Antiphonarum decantatione, ducitur per Cæremoniarium idem Subdiaconus, seu alius, cui, ex consuetudine Ecclesiarum, Capitulum cantare convenit, in habitu, in quo reperitur, factis debitis reverentiis, ad locum, ubi decantari solet Epistola in Missa, qui tenens sibimet librum, cantabit Capitulum alta et æquali voce, ad quod Episcopus cum mitra, reliqui omnes, detecto capite, surgunt, et responso per Cantores *Deo gratias*, ducitur per Cæremoniarium aliquis Canonicus, seu alius, ad quem de Ecclesiæ consuetudine spectat, qui præintonat Episcopo, cum mitra stanti, Hymnum, et Episcopus statim, deposita mitra, præintonationem Hymni repetit, quem chorus prosequitur in cantu plano, vel musicali, prout magis placuerit; dummodo verba distincte intelligantur; cui etiã intermisceri organum poterit; dum tamen verba ipsa Hymni clara voce per aliquos, ad id deputatos, repetantur, vel cum organo cantentur.

12. Si vero fuerint Hymni *Veni Creator Spiritus*, aut *Ave maris stella*, dum Episcopus intonat, omnes genuflectunt, et statim ipse quoque Episcopus ibi in suo genuflexorio ante altare, si adest, genuflectit; sin minus, in sua ipsa

sede super aliquo pulvino, ad id parato, permanens in genuflexione usque ad finem primi versus; quo finito, surgit, surgentibus omnibus, et stat, quousque perficiatur Hymnus cum Versiculo et Responsorio. Tunc per Cæremoniarium ducitur idem Subdiaconus, seu alter, qui prius Antiphonas Psalmorum præintonavit, cum eisdem reverentiis ante Episcopum, cui stanti adhuc sine mitra præintonat Antiphonam Canticum *Magnificat*, qua repetita, Episcopus sedet, et accipit mitram pretiosam, et pariter omnes sedent. Et dum cantatur per chorum Antiphona, imponit thus in thuribulum, per Acolythum thuriferarium allatum, Presbytero assistente naviculam thuris porrigente, sub ea forma, et verbis, quæ in *Cap. xxiii. §. i. Lib. i.* explicatur.

13. Interim duo Acolythi præcedunt ad altare, elevantes hinc inde anteriorem partem superioris tobaleæ, seu veli, super altare positi, illamque conduplicant usque ad medium.

14. Cum vero chorus incipit Canticum *Magnificat*, surgit Episcopus cum mitra, omnibus surgentibus, et facto sibi crucis signo a fronte ad pectus, acceptoque sinistra manu baculo pastorali, medius inter Diaconos assistentes, pluviale hinc inde elevantes, pergit ad altare, ante cuius infimum gradum; depositis baculo et mitra, et facta cruci, super altari positæ, reverentia, ascendit ante medium ipsius altaris, et eo osculato, capit de manu Presbyteri assistentis thuribulum, quod ipse assistens de manu thuriferarii acceperat, et thurificat crucem et altare, Diaconis assistentibus fimbrias pluvialis elevantibus. Qua autem forma dictam thuribulum ad manus Episcopi porrigatur, ac rursus, quo ordine et modo ipsum thuribulum sit ducendum, et altare thurificandum, in dicto *Cap. xxiii. Lib. i.* latius demonstratur.

15. Thurificato altari, ibique mitra et baculo receptis, Episcopus redit ad sedem suam, ubi, stans cum mitra, ab assistente Presbytero thurificatur; et duo Acolythi supradicti velum, seu tobaleam paulo ante plicatam reducunt, prout erat super altari; ipse vero Episcopus, mitra

deposita, retento tamen baculo inter manus junctas, stat usque ad finem Cantici, et Versiculum *Sicut erat, etc.*

16. Interim per Subdiaconum, seu alium, qui Antiphonas præintonavit, thurificatur primo Presbyter assistens, deinde Diaconi assistentes, mox Canonici et alii, ordine suo, ut in dicto *Cap. xxiii. §. xxvii. et xxviii.* explicatur. Quod si interim, expleto Cantico, Episcopus inciperet Versiculum *Dominus vobiscum*, pro Oratione dicenda, debet cessare thurificatio: animadvertendum tamen, ut cantus *Magnificat* ita protrahatur, ut et thurificatio simul terminetur.

17. Cum per chorum repetitur Antiphona Cantici, Episcopus deponit baculum, sedet, et recipit mitram. Interim Cæremoniarius, medius inter duos Acolythos ceroferarios, eos cum debitis reverentiis ducit ante Episcopum, qui, finita Antiphona, et organo silente, deposita mitra, surgit, et stans versus altare, ex libro, sibi per assistentem porrecto, cantat Versiculum *Dominus vobiscum*, deinde *Oremus*, et mox Orationem competentem, manibus junctis, omnibus iterum stantibus. Qua finita, dum repetit *Dominus vobiscum*, Cæremoniarius cum ceroferariis, factis debitis reverentiis, discedunt et redeunt ad altare, et in suo loco reponunt candelabra.

18. Dicto per chorum *Benedicamus Domino*, a duobus cantoribus, qui, secundum locorum consuetudines, induti erunt pluvialibus, vel cotta, dum respondetur per eundem chorum, sive per organum *Deo gratias*, Episcopus, reassumpta mitra, stans in sua sede, si inde a populo commode videri potest, sin minus, accepto baculo pastoralis, accedit ad altare, et facta ibidem profunda reverentia cum mitra, benedictionem dat, dicens: *Sit nomen Domini benedictum*, juxta formam in *Cap. xxvi. Lib. i.* traditam.

19. Si vero sit Archiepiscopus, aut alias utens cruce, allata illi per Capellanum ante se, deposita mitra, illi caput profunde inclinatur; mox benedictionem dat. Indulgentiæ in Vesperis numquam publicantur.

20. Si autem adesset Cardinalis non Legatus, vel Metropolitanus, Episcopus mittit ad eum Cæremoniarium, sive aliquem Capellanum, ut placeat illi benedictionem dare, quam Cardinalis non Legatus, seu Metropolitanus, remittit ex urbanitate, ab ipso Episcopo celebrante dandam; mox revertitur ad suam sedem, sive ad faldistorium, si eo utatur; ibique exuitur suis paramentis, et pariter Canonici in suis locis deponunt paramenta sacra, quibus induti erant, et deinde Episcopum saltem extra portam Ecclesiæ comitantur, ut supra *Cap. xv. §. xi. Lib. i.* dictum fuit, organo interim hilari modulatione continuo personante.

CAPUT II.

Episcopus, in crastinum non celebraturus, quomodo Vesperas perficiat. Sacris paramentis induatur, in sede resideat, incipiat et absolvat Vesperas. Qui, et quomodo Canonici parari debeant. Antiphonæ a quibus præintonandæ sint. Capitulum a quo recitandum. Quid præstandum, si Episcopus hujusmodi Vesperis cum cappa intersit. Canonicus celebrans ubi sedere debeat. Thurificatio quomodo perficiatur. Oratio a quo dicenda. Quo loci benedictio ab Episcopo danda.

1. Episcopus, si ob aliquod impedimentum, vel alia de causa in festis, in *Capite præcedenti* enumeratis, vel in aliis festis et Dominicis principalibus non sit ipsemet solemniter Missam celebraturus, velit tamen Vesperis sive primis, sive secundis interesse, et Officium facere, observabit eadem fere omnia, quoad se, ac si in crastinum esset celebraturus. Nam et eisdem sacris paramentis indutus erit, et in eadem sede residebit, incipiet et perficiet Vesperas, prout dictum est.

2. Differentia solummodo erit in infrascriptis, quia hoc casu non omnes Canonici, sed quatuor, aut sex tantum

cum pluvialibus parantur; assistentes vero Canonici Diaconi, hinc inde a lateribus Episcopi erunt in eorum habitu Canonicali, sic et Presbyter assistens.

3. Antiphonæ vero non eodem ordine, nec per Subdiaconum, sed per aliquem ex Canonicis, aut alium, ad quem de cõsuetudine Ecclesiæ spectat, præintonantur, primo ipsi Episcopo, deinde aliis Canonicis, incipiendo a dignioribus, prout Ecclesiarum circa hoc usus observabit. Capitulum autem per aliquem ex cantoribus alta voce recitabitur in loco suo vel alio solito. Cætera omnia fiunt, et dicuntur, prout in *Cap. i. Lib. ii.* expositum fuit.

4. Quod si Episcopus velit hujusmodi Vesperis interesse cum cappa, tunc minime convenit, ut ipse in tali habitu Officium faciat, qui etiam ipsemet sibi debet biretum imponere et auferre. Sed Canonicus hebdomadarius indutus amictu et pluviali super cottam, seu rocchettum, si illo utatur, totum Officium faciet, petita prius ab Episcopo licentia, incipiendo *Deus, in adjutorium, etc.*, usque ad finem, stans a latere Epistolæ, assistentibus sibi quatuor, aut sex Beneficiatis pro diversitate festivitatum, prout suo loco dicetur, pariter cum pluvialibus, quibus absque aliis paramentis simpliciter super cottam, vel rocchettum induuntur. Episcopus vero in sua sede tantummodo benedicet incensum, et in fine solemnem benedictionem dabit.

5. Antiphonæ autem præintonantur ab aliquo ex dictis Beneficiatis paratis; primo ipsi Canonico celebranti, deinde aliis Canonicis dignioribus, juxta morem Ecclesiæ. Organi sonus eodem modo poterit intermisceri, prout in *Cap. xxviii. Lib. i. de organo, etc.*, declaratum fuit.

6. Ipse celebrans Canonicus, una cum quatuor aut sex Beneficiatis assistentibus, dum Psalmi recitantur, sedere poterunt cooperto capite in aliquo sedili, seu scamno præparato, et ornato a latere Epistolæ; videlicet, celebrans in medio, primi assistentes vero hinc inde, vel alias, prout in illa Ecclesia usitatum est: reliqui autem assistentes in scabellis, vel scamno contra altare.

7. Capitulum cantabitur ab aliquo cantore Hymnus et Antiphona ad *Magnificat* præintonatur ab eodem assistente ipsi celebranti.

8. Dum cantatur per chorum Antiphona ad *Magnificat*, dignior Canonicus ex Presbyteris, accedente Acolytho thuriferario, offert naviculam incensi Episcopo, qui imponit et benedicat incensum more consueto.

9. Incepto Cantico prædicto, ipse Canonicus celebrans cum suis assistentibus surgit, et facta reverentia Episcopo, thurificat more solito altare: quo thurificato, ipse, stans in cornu Epistolæ, capite detecto, ab altero ex dictis duobus Beneficiatis assistentibus, pluviali induto, thurificatur duplici ductu thuribuli; mox Episcopus stans, capite detecto, a Presbytero Canonico assistente thurificatur apud suam sedem triplici ductu: et demum omnes Canonici et alii ordine suo thurificantur.

10. Finito Cantico, et repetita per chorum Antiphona, celebrans cantat Orationem, stans versus altare a latere Epistolæ, duobus Acolythis ceroferariis candelabra cum cereis accensis afferentibus, et alio, inter illos medio, librum tenente.

11. Qua finita, et dicto per chorum *Benedicamus Domino, etc.*, Episcopus stans in sua sede, si inde a populo videri possit, alias apud altare, capite cooperto, nisi sit Archiepiscopus, aut alias utens cruce, quia capite detecto versus crucem, quæ per aliquem ejus Capellanum genuflexum tenetur, solemniter benedicat: non tamen tunc utitur baculo pastoralis, quia non est paratus. Reliqua omnia fiunt, prout in *antecedenti Capite* dictum fuit.



CAPUT III.

Quo ritu in Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, vel in Collegiatis, Vesperæ celebrandæ sint. Canonicus hebdomadarius pluviali paratus, una cum aliquot Presbyteris similiter paratis, et aliis ministris a sacristia ad altare processionali ritu procedat. Ubi inchoandum Officium Vesperarum. Antiphonæ et Psalmi, et Canticum Magnificat a quibus intonentur. Ordo thurificationis. Orationes ubi dicendæ, et quomodo Vesperæ compleantur. In diebus solemnioribus sex Presbyteri cum pluvialibus parentur; in aliis non solemnioribus quatuor tantum, in Dominicis et aliis Festis, duo.

1. In Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, et in Collegiatis Canonicus hebdomadarius paratur in sacristia pluviali coloris temporis convenientis super rocchetto, si eo utatur, aut super cotta, et cum eo parantur quatuor, aut sex Presbyteri de gremio ipsius Ecclesiæ, non tamen Canonici; coadunatisque Canonicis, et aliis de clero, in chorum, prædictus Canonicus celebrans procedet e sacristia hoc ordine: præcedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis, deinde Cæremoniarius, et aliqui ministri cottis induti; mox Presbyteri, pluvialibus parati, bini et bini; ultimo loco Canonicus celebrans, pluviali indutus, medius inter duos ex dictis Presbyteris: qui fimbrias anteriores pluvialis ipsius parumper elevat; parati vero procedunt manibus junctis, et cooperto capite.

2. Cum perveniunt ante altare, stabunt omnes recta linea; ceroferarii erunt omnium postremi hinc inde a lateribus: in eorum medio Presbyteri pluvialibus parati, et inter ipsos medius Canonicus celebrans paratus; simulque omnes, detecto capite, genuflectent, genuflexique parumper orabunt, præter Acolythos ceroferarios et ministros supradictos, cottis indutos, qui statim discedunt ad latera

altaris, ibique Acolythi candelabra cum cereis extinctis super gradu, vel plano inferiori deponunt.

3. Presbyteri parati cum Canonico celebrante, postquam oraverint, surgunt, et profunde altari caput humerosque inclinant. Si vero sanctissimum Sacramentum in eo asservetur, denuo genuflectunt; deinde salutant, ab utraque parte chori, Canonicos, capitis inclinatione.

4. Canonicus vero paratus celebrans, accedit ad scamnum, panno coopertum, in cornu Epistolæ præparatum, vel ad stallum, seu primam sedem chori ab ea parte, quæ eidem illa hebdomada obtigerit, in qua sede ponetur pulvinum, et alterum cum tapete super alio scamno, seu genuflexorio, ante se positò; super quo etiam ponitur liber, serico coloris cæterorum paramentorum tectus; et ubi non adest tale scamnum, in aliquo legili, quod ponitur ante celebrantem, et removetur prout opus est; quo casu tapete sternitur ante ipsum celebrantem.

5. Sedet ibi paululum, Presbyteri vero parati stant ante eum in plano, et cum per Cæremoniarium fit signum inchoandi, ipse Canonicus celebrans surgit, surgentibus omnibus de choro, qui secreto dicit *Pater noster, etc.*, et *Ave Maria, etc.* integre; quibus dictis, elevatur ei pars dextera pluvialis aliquantulum per Cæremoniarium, vel per primum assistentem paratum, si sit in scamno; et ipse se signo crucis a fronte ad pectus, dicens clara voce, et in cantu competenti *Deus in adjutorium, etc.*, prout supra, celebrante Episcopo, dictum est.

6. Tunc unus ex dictis Presbyteris paratis, facta altari reverentia, ac ducente Cæremoniario, accedit ante ipsum Canonicum celebrantem, et illi se profunde inclinatur; et expleto per chorum Versiculo *Sicut erat, etc.*, et *Alleluia, vel Laus tibi Domine, etc.*, ipse stans, præintonat illi Antiphonam primi Psalmi, qua per Canonicum celebrantem repetita, ipse iterum facta reverentia ante illum et altare, ut prius, recedit cum Cæremoniario ad sedilia in plano chori disposita hinc inde contra altare, et ornata panno

viridi, aut tapetibus, ubi sedet cum aliis Presbyteris paratis.

7. Expleta per chorum Antiphona, duo cantores, coticis induti, intonant Psalmos in medio chori, et incepto primo versu Psalmi, omnes sedent; et sic remanent sedentes usque ad Capitulum, nisi quatenus pro intonatione Antiphonarum surgunt, ut mox dicetur.

8. Cum dicitur Versiculus *Gloria Patri, etc.*, in fine cussilibet Psalmi, omnes caput detegunt, illudque sedentes profunde inclinant, sic permanentes usque ad Versiculum *Sicut erat, etc.* Cantores duo prædicti, vel ultimus ex dictis Presbyteris, pluvialibus paratis, si sint plures, quam duo, præintonant cæteras Antiphonas Canonicis ab utraque parte chori per ordinem, incipiendo a dignioribus; et cum aliquis ex Canonicis reassumpturus Antiphonam, surgit, pariter omnes tam Canonici, quam alii de clero surgunt, et illo sedente, sedent.

9. Finitis Psalmis, duo Acolythy simul deferentes candelabra cum candelis accensis, cum dictis Presbyteris paratis, accedunt ad Canonicum celebrantem, eique faciunt reverentiam, et hinc inde ad ejus latus assistunt in plano chori: ipse vero Canonicus, finita Antiphona, seu sono organi, surgit, capite detecto; junctisque manibus, cantat Capitulum; et, eo finito, primus ex dictis Presbyteris paratis, accedens propius ante ejus faciem, intonat illi Hymnum; quo per eum repetito, prædicti Acolythy, ac Presbyteri parati, facta Canonico reverentia, recedunt ad loca sua, ubi parati, stant manibus junctis, donec perficiatur Hymnus.

10. Quo expleto, duo ultimi ex eisdem paratis, accedentes ad medium chori ante altare cum debita reverentia æqualiter ibi stantes, cantant simul versum voce altiori, quibus chorus respondet: primus vero ex ipsis rediens ante celebrantem, cum debita reverentia præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per celebrantem repetita, ipse celebrans, et alii omnes in choro sedent: et cum

inchoatur Canticum *Magnificat*, quod a duobus cantoribus, coticis paratis intonatur, omnes surgunt, et ipse celebrans, salutans hinc inde Canonicos capitis inclinatione, qui ei assurgere debent capitibus detectis, vadit ad altare cum dictis Presbyteris paratis, ordine quo venerant, et faciunt altari profundam reverentiam, aut, si super eo sit SS. Sacramentum, genuflectunt ante infimum gradum: celebrans cum duobus ex dictis paratis ascendit ad medium altaris, quod osculatur, mox vertens se versus cornu Epistolæ altaris, ubi thuriferarius ante eum stans inclinatus, offert illi thuribulum apertum cum prunis ardentibus, ministrante ei Presbytero parato, a dextera illius assistente, naviculam cum cochleari, imponit thus in thuribulum, et benedicit more consueto; acceptoque thuribulo de manu ejusdem Presbyteri parati, thurificat altare debito ritu; mox thuribulum reddit eidem Presbytero parato, a quo acceperat, et ille thuriferario: et facta altari reverentia, simul cum dictis Presbyteris paratis, ordine quo venerant, recedunt ad sua loca, salutatis iterum redeundo Canonicis, ab utraque parte chori, ut prius.

11. Canonicus celebrans, stans in loco suo, in choro, invitato prius ad honorem incensationis proximior Canonico, caput inclinando, aut, si adsit, Vicario Episcopi, vel alio digniori, qui immediate post eum debeat incensari, incensatur a primo ex dictis Presbyteris paratis triplici ductu thuribuli, cum profunda capitis inclinatione ante et post incensationem.

12. Thuriferarius, vel ultimus ex assistentibus paratis, quatenus sint sex, vel quatuor, accepto de manu ejusdem Presbyteri thuribulo, thurificat omnes Canonicos ordine suo cum reverentiis ante et post, duplici ductu; deinde cæteros de choro unico ductu, primo tantum in ordine capite inclinato.

13. Advertant interim cantores et organista, ut cantum et sonum invicem alternatim ita dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonæ incensatio sit expleta. Cum repetitur

a choro Antiphona, omnes sedent. Interim Acolythy duo cum candelabris, ac cereis accensis, et Presbyteri parati, accedunt ad Canonicum celebrantem, assistendo, ut supra, factis solitis reverentiis.

14. Expleta Antiphona, omnes surgunt; Canonicus vero celebrans, stans junctis manibus, cantat *Dominus vobiscum*, *Oremus* et Orationem competentem cum sua conclusione, vel plures, pro qualitate temporum, secundum regulas et Rubricas Breviarii.

15. Qua, seu quibus finitis, duo ex ultimis dictis Presbyteris paratis accedunt ad medium chori, ad altare versi, et ibi voce altiori cantant *Benedicamus Domino*, et redeunt ad celebrantem, qui dicto *Fidelium animæ, etc.*, si Completorium continuetur, salutatis Canonicis ab utraque parte chori, discedit cum prædictis paratis, ordine quo venerat: si vero non sequatur Completorium, expletis a celebrante Orationibus cum suis conclusionibus, ac eodem loci, dicto remissiori voce *Fidelium animæ, etc.*, et secreto *Pater noster*, et in fine mediocri voce *Dominus det nobis suam pacem*, incipit Antiphonam B. Mariæ, stans ibidem, seu genuflectens, stantibus pariter, vel genuflectentibus omnibus, quando, juxta regulas Breviarii, standum, vel genuflectendum est, pro ratione temporis, quam postea submissa voce prosequitur, et in fine dicit voce item submissa Versiculum, Orationem, et *Divinum auxilium, etc.*, deinde discedit, ut supra.

16. Eodem modo et ordine semper, diebus Dominicis et festivis, quæ a populo observantur, a Canonico hebdomadario, tam in Collegiatis, quam in Cathedralibus Ecclesiis, absente Episcopo, Vesperarum Officia celebrantur: ea tamen moderatione adhibita, quod in festis solemnioribus, ut in Natali Domini nostri Jesu Christi, Epiphania, Paschate Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in Festo Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis et omnium Sanctorum, Sancti Titularis Ecclesiæ, et Patroni Civitatis, vel Ecclesiæ Dedi-

cationis, sex pluvialia a Presbyteris, seu Clericis totidem, hebdomadario assistentibus, sumantur.

17. In aliis festis immediate subsequentibus diem Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes; item in festis Circumcisionis Domini, Purificationis, Annuntiationis, et Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, sanctissimæ Trinitatis, et sancti Joannis Baptistæ, quatuor tantum pluvialia sumantur; in Dominicis vero, et aliis festis, duo. In duplicibus autem minoribus, semiduplicibus, simplicibus, et feriis, non oportet celebrantem, seu hebdomadarium esse paratum, nec fieri thurificationes.

CAPUT IV.

Episcopus, si Completorio intersit, et Officium faciat, ubi et quo habitu consistere debeat. Quomodo inchoabit et perficiet Completorium. Quæ dicenda sint a choro, et ab hebdomadario. Altaris thurificatio ad Canticum præmittenda. Organum non adhibendum, nisi solemnius Completorium celebretur. Quæ præstanda sint ab hebdomadario versus Episcopum. Quo ritu Completorium dicendum in Collegiatis Ecclesiis

1. Si Episcopus Completorio interesse et Officium facere voluerit, assistet cum sua cappa in choro in suo loco, seu stallo, panno aliquo, vel tapete cum pulvinaribus ornato.

2. Officium vero ipsius erit circa hæc; videlicet, ut dicente cantore *Jube, Domne, benedicere*, ipse stans, respondeat *Noctem quietam, etc.*, et post lectionem brevem *Adjutorium nostrum, etc.*, deinde *Pater noster, etc.*, tum confessionem et absolutionem, et alia usque ad *Deus, in adjutorium, etc.* inclusive, et incepto Psalmo sedebit.

3. Cætera omnia dicentur per chorum, et hebdomadarium usque ad Orationem, quam ipse Episcopus cantabit, et demum benedictionem dabit, dicens *Benedicat, et custo-*